



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

VIII. Enumerantur rursus provinciæ Aquitanica legatione conclusæ, & ostenditur latiùs patuisse legationem Amati Episcopi Oloronensis, cui præter eas provincias commissa est etiam provinciæ ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

*Ecclesia filiis auxiliante Domino procuremus. Verum quia ubique presentes esse aut per nos ipsos cuncta exercere non possumus, fratres nostros, quos nimirum opportunos credimus, in partem nostre sollicitudinis evocamus. Eapropter venerabili fratri nostro Gerardo Engolismensi Episcopo nostras in partibus vestris vices duximus committendas, quemadmodum & Dominus predecessor noster sanctæ memoriæ Paschalis Papa commisisse cognoscitur. Confidimus enim in Domino quia ipse ministerium hoc ad honorem Dei & salutem vestram sancto cooperante Spiritu fideliter ministrabit. Rogamus itaque universitatem vestram, monemus, atque precipimus, ut ei, tanquam Vicario nostro, humiliter pareatis. Et cum opportunitas ecclesiastica utilitatis exegerit, ad vocationem ejus unanimiter convenire & synodales cum eo conventus solenniter celebrare curetis; quatenus communi deliberatione corrigenda corrigere & confirmanda possit auctore Domino confirmare. Datum Beneventi X VII. Kal. Novembris.*

VII. Sed ut ad id revertamur quod superius dicebamus, legationis Aquitanicæ terminos in Britanniam usque porrectos fuisse, Dolensem verò archiepiscopatum fuisse unum ex quinque archiepiscopatibus Legato Aquitanicæ contributis, istius rei probatio colligitur etiam ex literis quas jam descriptimus Paschalis & Callisti, qui Britanniam provinciam enumerant divisam à Turonensi. Ratio enim aliqua esse debuit ob quam Pontifices illi Britanniam seorsim exprimerent à provincia Turonensi. Ea verò alia esse non potest quam quòd ea provincia Metropolitanì Turonensis auctoritatem respueret Dolensiquè Archiepiscopo subijci mallet, etiam post Urbani I. decretum. Quod adeo verum est ut Adriani quoque quarti pontificatu cum agitata controversia esset de Pallio Archiepiscopi Dolensis, idem Adrianus, ut docet Innocentius tertius, Engelbaudo Turonensi Archiepiscopo præcepit uti aut cum Hugone Archiepiscopo Dolensi conveniret cum suffraganeis, aut usque ad festum sancti Michaëlis proximò tunc venturum plenam ei exhibiturus & recepturus justitiam apostolico se conspectui præsentaret. Extant literæ illæ Adriani in veteri codice MS. monasterij sancti Germani de Pratis, nondum editæ, ideòque heic opportunissimo loco inferendæ.

Innoc. III. lib. 1.  
epist. 82.

\* Log. Archiepiscopi.

*Adrianus Papa Turonum\* Archidiacono.*

*Ad apostolatus nostri presentiam Dolensis Ecclesie clerus, multis laboribus attritus & molestiis fatigatus, apud nos suppliciter intercessit ut venerabili fratri nostro H. Archiepiscopo Dolensi dignaremur Pallij sui plenitudinem indulgere. Hoc verò cum ex tenore concordie quam inter te*

*& ipsum factam fuisse constrebat, tam ex antiqua consuetudine requirebat. Venerunt & adversus eum nuntij tui, qui quandam compositionem, quam per Abbatem de Fontaines factam fuisse de suffraganeis ibi asserbant, confirmari unanimiter postulabant. Porro eandem Ecclesiam cum prefato Archiepiscopo suo in ipsa compositione suffraganeis dicebant renuntiasse,\* accedens & a predecessore nostro bonæ memoriæ Lucio Papa, sicut in ejus scripto continetur, ita fuisse de communi consilio fratrum diffinitum. Ad hoc ipsam compositionem nullam fuisse Dolensis penitus Ecclesie respondebat, dicens insuper ipsam sententiam Romani Pontificis non tenere, quia ille qui tunc temporis officium gerebat, fraudem & dolum adhibuit, dum nec Dolensis Ecclesia presens in examinatione fuisset, & ad Capuanam archiepiscopatum, quem postea per intrusionem Regis Siculi adeptus est, vehementer aspiraret, unde in ipsa compositione nihil ad commodum Dolensis Ecclesie. Nos verò quia hujus rei plenam non potuimus habere cognitionem, cum altera pars in negatione persisteret & se non habere mandatum penitus hoc exequendi affirmaret, nihil à nobis super eodem negotio est terminatum, prædictam tamen compositionem omnino quassavimus. Sanè juxta postulationem ejusdem Ecclesie memorato fratri nostro Pallio, insignem videlicet pontificalis officij, duximus indulgendam; quem cum apostolicæ sedis benedictione & nostra gratiæ plenitudine remittentes, tanto Ecclesie cui præest sua jura illibata volumus servare & integra quanto ecclesiasticis utilitatibus convenit nos ex injuncto officio attentius providere. Unde hos Dolensis Ecclesie misericorditer\* consulationem consulentes, ne ipsa sacrosanctam Romanam Ecclesiam ad\* excusationem suæ justitiæ negligentem esse vel desidam conqueratur, fraternitati tuæ per apostolicam scripta mandamus quatenus aut cum eo amicaliter componas & cum eo tibi conveniat, aut ad proximam festivitatem sancti Michaëlis plenam exhibiturus & suscepturus in presentia nostra justitiam apostolico te conspectui representes.*

VIII. Itaque Aquitanica legatio, uti dicebamus, constabat ex provinciis Bituricensi, Burdegalensi, Aucitana, Turonensi, & Britannica. Latiùs autem patuit legatio à Gregorio VII. concessa Amato Episcopo Oloronensi apud Benearnos; quippe cui, præter quinque provincias supra memoratas, commissa est etiam provincia Narbonensis integra, hoc est, prima Narbonensis & Hispania Tarraconensis, quæ tunc sub Metropolitanò Narbonensi erat. Sic enim intelligendæ sunt Gregorij literæ à nobis olim editæ, quæ sic habent in veteri codice MS. sancti Albini Andegavensis.

GREGORIUS Episcopus servus servorum

Dei, omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Regibus, Principibus, Clericis quoque, ac laicis, in Narbonensi, Gallia, Guasconia, Hispaniaque regione, salutem & apostolicam benedictionem. Dilectissimi fratres & filij, prudentia vestra manifestissime notum est quod Romana Ecclesia hanc consuetudinem habuit ab ipsis sue foundationis primordiis, ut ad omnes partes, quae Christianae religionis titulo praeveniantur, suos Legatos mitteret; quatinus ea quae gubernator & rector ejusdem Romanae Ecclesiae per suam praesentiam expedire non praevaleret, vice sua Legatis concessa, monita salutis ac morum honestatem per eos cunctis per orbem terrarum constitutis Ecclesiis nunciaret, easque apostolica doctrina in omnibus quae sacrae religioni conveniunt diligenter instrueret. Proinde horum praesentium portitorem, venerabilem confratrem nostrum A. Episcopum, ad partes vestras dirigimus: ut quae ibi vitia eradicaanda sunt, a fundamento evulsis, plantaria virtutum Deo auctore sollerti vigilantia plantare procuraret. Quem sicut nostram immo beati Petri praesentiam vos suscipere apostolica auctoritate jubemus; ac sic pro reverentia apostolicae sedis, cujus nuncius est, vos in omnibus sibi obedire atque eum audire mandamus ut propriam faciem nostram seu nostrae vitae vocis oracula. Scriptum est enim: Qui vos audit, me audit. Agite itaque prudenter ac religiose; & sic vos obedientes Deo & sancto Petro in omnibus exhibete, quatinus ipso Apostolorum principe interveniente, utriusque vitae gloriam & felicitatem consequi mereamini.

IX. De legatione Amati multa erudite pro more suo adnotavit Illustrissimus Archiepiscopus in historia Benearenensi, ac post eum alij. Sed tamen nos quoque nonnulla adferemus non ingrata, opinor, futura viris eruditis & antiquitatis ecclesiasticae studiosis. Anno MLXXXIX. Gregorius VII. primum Gebuino Lugdunensi Archiepiscopo concesserat super quatuor provincias Lugdunenses, hoc est, Lugdunensem propriè dictam, Rotomagensem, Turonensem, & Senonensem. quod Decretum statim amplexus est Archiepiscopus Turonensis, ejusque suffraganei. Inde altos spiritus induit Gebuinus, quod ingens accessio facta esset dignitati suae. Itaque cum in dividisset concessam Amato esse legationem in provincia Turonensi, impatitenter id tulit, quod ex eo imminui agnosceret auctoritatem suam. Quare Rodulfum Archiepiscopum Turonensem & Eusebium Andegavensem Episcopum verbis ambiguis hortatus est ne paterentur Amatam in ea provincia uti auctoritate Legati. Quia tamen intelligebat validum hinc telum peti posse adversus novam dignitatem Ecclesiae Lugdunensis, si Ro-

manorum Pontificum rescriptis privata audentia occurreret, sic temperat scriptionem suam, ut profiteatur habiturum se illum pro Legato, postquam sibi constiterit de legatione ejus, nolle enim se iussionibus apostolicis contraire. Extat enim ea de re, ut dixi, Gebuini ad eisdem Archiepiscopum & Episcopum epistola in vetusto codice MS. sancti Albini Andegavensis, digna profecto quae manibus eruditorum hominum teratur. Sic autem habet.

Dilectissimis in Christo fratribus, Rodulfo venerabili Turonensi Archiepiscopo, suo carissimo, & Andegavensi Episcopo Eusebio, Gebuinus indignus Presbyter Lugdunensis Ecclesiae, in Domino salutem. Cum dilectionis & caritatis vestrae, quam quotidie erga Lugdunensem Ecclesiam exhibetis, reminiscor, in exequendis obsequiis vestris ultra vires est animus, sic quod condignè meritis vestris referri debeat non habemus. Ergo ut carissimis, & praecordiorum nostrorum intimis, vobis conveniens nostrum aperimus. Credo quod jam pervenit ad aures vestras quam benignè Papa nos susceperit, quanto affectu familiaribus commendaverit; & cum de multis adinvicem haberemus sermonem, nullam tamen nobis de Domino Amato fecit mentionem. Ut pius pater, cum de multis meritis nos corripere, non tamen ammisit quin apostolica auctoritate Lugdunensi Ecclesiae antiquam nobilitatem restauraret; & in tantum in retractando privilegio nostro studuit, ut cum in diversa responsa dies non sufficeret, ipse etiam dicendo plurimum nocte laboraret. Praecipitque nobis ut Densi Episcopo in fidelitate Beati Petri & in omnibus ferremus auxilium, si quando in provinciis nobis commissis celebraret Concilium. Vnde non satis miror Dominum Amatam hujuscemodi rem egisse; cum neque Papae neque ipsius literas acceperim, neque legationis ejus certa signa cognoverim. Audivi tamen illum suscepisse legationem vestrae provinciae antequam Romam pergerem. Quod si est, consilio vestro nobis opus est: quia nec Lugdunensis Ecclesiae dignitatem volo minuere, nec iussionibus apostolicis contraire. Et, si fieri potest, quid de his sentiat, ad praesens rescribere ne differatis. Valet.

X. Eadem emulatio exercuit Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem, Gebuini successorem, ac sedis apostolicae Legatum, virum, ut patet ex epistola LX. Ivonis Carnotensis, acrem & vehementem in retinenda dignitate sua: qui ut oblique infringeret auctoritatem Amati in tertia Lugdunensi, eodem tempore Turonensem Archiepiscopum ad se evocavit quo eum Armatus ad synodum invitaverat; ut patet ex epistola Rodulphi Turonensis Archiepiscopi ad A. suffraganeum suum, quae nondum edita est. Quo